

maledicit noctem, sed eleganti metonymia cul-
pam illam primigeniam, quæ noctem, quæque
diem illam, nec non & vitam universam, tot
aliis culpis, tot item pœnis defædasset. Hinc
exorat, ut maledicant diei, qui parati sunt sus-
citate Leviathan.

§. I V.

Qui sunt tandem, qui maledicunt diei natali-
tio, & nocti conceptionis.

1217 **H**erculeum nodum solutum imus, seu
dissolutum. Demamus prius traba-
lem Temonis clavum. Dies maledictus, & qui-
dem à Deo fatalis ille dies est, quo Adami si-
lius originali infectus scelere in lucem editur.
Et Deum esse, qui maledicit huic diei, &
ejus maledictionis manifestaria sententia ex-
tat Genes. 3. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas,
& conceptus tuos; in dolore paries filios, &
sub viri potestate eris, & ipse dominabitur
tui.* Multiplicandos prædicit conceptus, &
quidem ærumnosos, non tantum propter cor-
poris ærumnas, fetorem, dolorem, gravidi-
tatem, lassitudines, spasmos, deliquia, fasti-
dia, quæ Philosophus numerat lib. 7. Hist.
Animal. cap. 4. sed etiam ob animi extre-
mam miseriam, culpas nempe turpissimas,
quæ & matri, & proli tot, tantaque intulit
calamitatum genera; ut nobis (ait Procopius
ibi) *innascatur odium peccati, cogitantibus il-
las miseras ex hoc emanare.* Et S. Ildepho-
sus lib. de perpetua Virginitate B. Mariæ: *Ge-
mitus & corruptio in partu fœminatæ, non nisi
ex delicto, & maledictione primæ originis ve-
niunt.* sæpeque in eo libro naturam vitiatam,
atque maledictione damnatam dicit, ut neget
Virginem sub maledictione dicta concepisse,
aut peperisse Christum. Unde ad libri calcem
sic ait: *Nullas adscribant sacratissima Matri
contumelias, non gemitus, non dolores, non ærum-
nas, non ulla viscera vexationes, non ulla
dira tristitia corruptiones: quia hæc omnia, si-
cut sæpe dictum est, in prima origine illata sunt
vindictæ, & retributiones iustissimæ primæ præ-
varicationis. A quibus omnibus B. V. Mariæ
quantum est aliena à culpa, tantum procul dubio
libera fuit à doloribus, & pœna.*

Hal. 65. 23.
Novus Pa-
radisus no-
va generatio
per Christi
non maledi-
ctio, sed
benedictio.

S. Cyrill.

1218 Huc aspexit Isaias, qui cum Evange-
licum paradisi elegantem verborum allegoriâ
prædiceret, cap. 65. v. 23. ait: *Non labora-
bunt frustra, nec generabunt in conturbatione
(LXX. in maledictionem) quia semen benedi-
ctum Domini est.* Etenim nomine conturbatio-
nis, & maledictionis, ærumnosissimum pecca-
ti originalis statum intelligo (cum Leone
Castrio ibi) in quem humanum genus post pri-
mum lapsum dejectum est. In hoc novo pa-
radiso alia est mystica generatio, & per Chri-
stum spiritualis regeneratio, quia culpa deter-
sa, Christiani in novam evadunt creaturam,
ad imaginem illius procreati, secundum Deum
creatus est in iustitia & sanctitate veritatis,
ad Ephes. 4. 24. Quamvis enim multa hi pa-
tiantur, ea tamen non perturbationi, non ma-
ledictioni accensenda, sed potius benedictioni,
cum per huiusmodi calamitates tantam sibi
comparent vitæ felicitatem. Unde Sanctus
Cyrillus libro 15. de Adorat. in spiritu & ve-
ritate: *Neque adhuc gignimur ad corruptionem
per illam in Adam transgressionem, sed ad
vitam, & incorruptionem per illam in Christo*

justificationem, qui se pro nobis immolari passus
est. Vide sanctum August. libro 4. de symbo-
lo cap. 1. Igitur concipere in maledictionem,
perinde est atque in peccato originali gene-
rari; potissima quippe primæ maledictionis
pars fuit fœtum peccato originali infectum
edendum.

1219 Hinc Apostolus ad Ephes. 2. 3. ait
nasci nos naturâ filios iræ. Cur scilicet, nisi quia
sub hac maledictione? *Naturâ*, id est, origine
peccati primo infectâ, ut explicant Sanct. Ber-
nard. Serm. 1. de Purific. Sanctus Thomas lect.
1. Ildephonus loco relato: *Filii iræ*, digni
iræ, & vindictæ, quam prima illa maledictio de-
nuntiabat. Porro ad hanc maledictionem ad-
spexisse Jobum, vel illud argumentum convin-
cit, quod de die natali suo agebat; eumque
non aliâ ratione derelabatur, quam quod pec-
cato originali infectus universam vitam &
peccatis, & miseriis infecisset. Quæ generalis
est Ecclesiæ sententia, sanctorum Patrum re-
sponsum explicata, quæ supra indicavimus.
Cum igitur fœdissimum diem multis rationi-
bus ex peccati causâ maledixisset; consulti-
simò extremam hanc addidit, primam refri-
cans divinam maledictionem, quæ diem hunc
tam iustis addixit diris. Subinde mihi cla-
ret, Deum esse quem exoptat Jobus maledi-
centem huic diei.

1220 Rectè, sed ais: Si Deum maledicen-
tem huic diei memorat Jobus, cur plurativè
dixit: *Maledicant ei, qui maledicunt diei?*
Cur non potius: *maledicat, qui maledicit?*
Respondeo primò; LXX. Interpretes senten-
tiam sic extulisse singulariter; & quidem me-
ditato illi in singulari Deum, quem Vulgatus
ex originali pluraliter nominavit. Fortè ut col-
latis orationibus, & personarum numerum, &
divinæ naturæ unitatem in hoc etiam loco si-
gnificarent. *Respondeo* secundò; neque Inter-
pretum tantum id artificium, imò ipsiusmet
Spiritus sancti curam, tum alias, tum in ipso
Jobi contextu; nam cum vers. 4. singulari no-
mine dixisset; non requirit eum diem Deus; in
hoc v. 8. plurali dixit verbo, *maledicant.*
Simili consilio Moyses Genes. 1. 1. dixit: *In*
principio creavit Deus. Hebraicè *elohim* plu-
raliter: *creavit Dii*, quasi non uni, sed tri-
bus personis opus creationis adscriberet, quod
indivisa voluntate, & potentia molite sunt.
Sic Jobus: *maledicat Deus.* *Respondeo* ter-
tiò; neque aliâs, propter idem Trinitatis my-
sterium, alienam esse à Deo pluralem locu-
tionem. Gen. 11. 1. *Venite descendamus, &*
confundamus ibi linguas eorum. Et Gen. 1. 26.
& cap. 2. 18. *Faciamus hominem.* Quod ad
probationem trium æqualium, atque con-
substantialium personarum referunt Patres Or-
thodoxi. Vide Del Rio nostrum. Hac igitur
mente Jobus ad primam illam Dei maledictio-
nem respiciens, ait: *Maledicant ei, qui maledi-
cunt diei.* Nam reverà Moyses, tres personas
maledixisse disertè pronuntiat in illa ipsa ma-
ledictione, quam Jobus recolat. Gen. 3. 15.
*Dixit Dominus Deus, Hebraicè, dixit qui est
Elohim; qui est Dii.*

1221 Summa ergo expositionis esto. Execra-
tus erat Jobus diem natalem nefasum, infeli-
cissimum propter originariam culpam, idque tri-
bus carminibus 3. 4. & 5. præstiterat. Regredi-
tur à die ad noctem conceptionis, ut malum in
ipsa opprimeret originè; eam noctem totidem
tribus

versibus detestatur: inter alia, hanc veluti
præcipuum detestationis partem adjicit: *ma-
ledicant ei nocti, qui maledicunt diei.* Non ex-
hortantis est, quasi non facientes excitet; sed
acclamantis, applaudentis, assentientis. *Ma-
ledicant ei.* O quàm jure faciunt! *maledicant,*
inquam, nocti tam ominosæ, tam infausæ,
tam fædæ, quam culpa illa turpissima obs-
curavit, tantarum calamitatum nimium ferax
feminium.

§. V.

Quinam sint parati suscitare Leviathanum.

1222 **J**ure distinguimus ex allusione ad lo-
cum Genes. quò respexit Jobus:
nam LXX. Interpretes distinguere, inter maledi-
centem diem, & nocti illi, & inter suscitantes
Leviathan: ut enim Codices Complutensium
& Regiæ habent, illum singularem, hos plu-
res expresserunt: *Maledicat ei nocti, qui ma-
ledicunt diei illi; qui futuri sunt suscitare Leviathanum.*
En totus difficultatis cardo. Nonnulli
suprà relati Angelos exponunt: quibus favere
videtur Joannes Apocalyp. 12. ubi exhibet
Michaellem cum cælestibus copiis hunc ipsum
Draconem stygium, antiquum serpentem, or-
bis seductorem exagitantibus; & (ut reor)
Deiparæ de Tartareo Leviathano triumphum
reportanti applaudentibus.

Non solum
Christus, sed
aliquis ali-
us, originale
peccatū de-
triumpha-
rum.

Græci Patres ad Christum referunt, à quo
serpentem antiquum originalis delicti auctorem
excitandum, debellandum, capiendum, subju-
gandum, & conterendum, Jobus vaticinatur
juxta LXX. lectionem, quam ipsi sequuntur.

Maria nempe
Deipara.

Isai. 11. 8.

Facinus my-
stica Arca
Maria Dn-

1223 Sed ut hæc LXX. versio singularem
unum Leviathani triumphatorem designet
Christum Dominum, præter unicum tamen il-
lum Leviathani victorem, aliquis saltem alius
addendus, ut & Vulgatæ nostræ editio om-
nino nobis asseratur; qui parati sunt, & allu-
sio Jobi ad Genesim vaticinium servetur. Nam
allusionem ad serpentem antiquum Genes. 3.
descriptum, primi peccati auctorem, in hac
Jobi prophetia contineri, jam statuimus.
Sicut igitur in Jobo primæ maledictæ pars
cum altera, Moysis nempe maledictio cum
maledictione apprimè consentit; ita, ut allu-
sio integrè constet, secunda item pars ejus-
dem sententiæ Jobianæ cum Mosaica conven-
nire necessariò debet. Mosaica illa extitit:
*Inimicitias ponam inter te & mulierem, & se-
men tuum, & semen illius.* Hos ergo, huc
adspiciens Jobus, excitatores Leviathani nun-
cupat: Mariam nempe, ejusque Filium. Ju-
vat hanc Moysis & Jobi collationem Joannes
Apocalyp. 12. ubi præcipuos Draconis tri-
umphatores, non Angelos, sed Mulierem, &
Filium ejus exhibet: hi serpentem antiquum,
hi magnum Draconem Leviathanum debel-
larunt, atque in jugum egerunt captivum,
quod cap. 17. factum describitur. Juvat et-
iam seipsum Jobus qui cap. 40. 24. ubi Le-
viathanum illudendum prædicit & Puer, &
Ancilla; Christo nempe (de quo Isaias 11. 8.
*Delectabitur infans ab ubere super foramine
aspidis*) & Mariæ, cui unicus Leviathanus il-
ludendus ligatus esset tradendus; ut capite
antelapso latè probavimus.

1224 Haud ineptè huc iterum vocaris fa-
cinus mysticæ Arce Mariæ (nam eo Arce
nomine, & symbolo multi illam Patres agnos-
cunt) quæ Dagonem obruncavit, atque ejus
caput, tum manus abscissa ad limen abje-
cit. Dagonem illum, ipsiusmet Leviathani for-
mam expressisse, post Bedam lib. 1. expositio-
allegoricæ in Samuelem cap. 10. auctor est
Rupertus lib. 1. de Trin. & oper. ejus in lib.
Regum cap. 14. Juvatque nomen *Dagonis*,
quod ille interpretatur *Pisces tristitia*, ut no-
tam illam plurimorum Interpretum *Leviatha-
ni* originem refrices, id est, *luctum eorum*.
Hunc ergo dum Arca deiecit, dum caput,
manusque præcidit atque ad limen abjecit,
Mariam Virginem portendebat, quæ Levia-
thanum istum Dagonem folio deturbavit, cum
caput, id est, originale peccatum, quod cæ-
terorum caput est, interprete S. Isidoro, qui
caput Dagonis esse ait *superbiam Diaboli, à
quo initium peccati fuit.* Tum etiam manus,
id est, actualia peccata amputavit; atque in
ipso humanæ vitæ lumine, in ipsissimo vitæ
ingressu, in meipso Conceptionis introitu,
victoriæ spolia ostentavit.

1225 Sed, ut ex Jobi contextu illustris
constet triumphus, duo expendas. Alterum,
est societas Jesu & Mariæ in hoc cum Levia-
thano congressu, & victoria: *Qui parati sunt
suscitare Leviathanum.* Sicut Moyses alterum
ab altero minime sejunxit, quos in hoc certame
quàm conjunctissimos fore ex traditione
noverat; ita Jobus eosdem ex eadem tradi-
tione conjunxit; ut Matrem quidem absque Fi-
lio minime certaturam doceret, minime à Fi-
lio unquam solam in castris deserendam; quin-
imò ipsi semper adfuturum, ipsam adjuvurum,
atque communi vulnere hostem debellaturum.
De quo, capite præcedenti.

1226 Alterum, quod expendendum mo-
neo, verborum est proprie. *Qui parati sunt
suscitare Leviathanum.* Vel juxta translationes
initio hujus capituli traditas; *Qui prompti sunt,
expediti, alacres, in promptu, in prociectu.*
Aut ex aliorum lectione: *Qui instructi, appa-
rati, armati, ornati, exculti. Qui debent sus-
citare Leviathanum;* in certamen provocare, sus-
fodere, destrudere, clamoribus contere, do-
mare, subjugare, subigere, opprimere, man-
cipare. Vel etiam; instantes, incumbentes,
intendentes veluti primi belli Principes, ac
Duces. Hic ego consisto, atque ex hac ver-
bi notione victoriam utriusque certatori adscri-
bo. An otiosum est quod Draconis hostes
Mariam & Jesum (nam utrumque designari
vel ex allusione ad Genes. 3. jam ostendimus)
ad hoc certamen ineundum, longè antè in-
structos, armatos, apparatus, expeditos, in
prociectu, in promptu, alacres, operi invi-
gilantes & intendentes describit? Quanam ra-
tione, aut utrumque, aut alteram imparatam
dixeris ab hoste fuisse oppressam? Pergo.
Nec id solum, sed præparatam, ac præmu-
nitam, ut *suscitet Leviathanum.* Nimirum illa diu
jam invigilaret, cum Draco stertebat segnis,
atque obdormiebat mors. Ab ipsa, ejusque
Filio præoccupatus, uterque illum excitarunt
expergefatumque lacefferunt. Nonne hæc
actio præoccupationem præ se fert? Lacerfiss-
tum porrò domarunt, subegerunt, oppressè-
re, contrivère. Iò triumphè. Neque id fa-
tis: plus ultra. Nam ex debito id præstitum
ab utroque: *Qui debent suscitare, seu subja-
cere Leviathanum.* Debent, inquiunt LXX.
Quo verò debito? Ex præcepto, ex obedi-
entia quidem. Sic videlicet prior inobedientia
D d abolita,

Maria non
absque Filio
bellavit &
triumpha-
vit.

Translatio
net pulchra
Maria tri-
umphatrix
adparatur.

absoluta, per Maris, & Filii obedientiam: sic qui inobediens olim Mulierem, & Virum deiecerat, per Virum nunc, & Mulierem jacebit prostratus.

§. VI.

Beatam Virginem ab originali culpa neque visam.

Christus sol neque illius aurora. Ma. via minime à nocte per specti originalis culpa. TN

1227 **E**xpectet lucem (subtexit Jobus) & non videat, nec ortum surgentis aurora. De Filio, nemini Christiano dubium, cuius puritas in priori versus parte asseritur: expectet lucem solis; nam eandem vocem Hebraeam or idem Job cap. 31. capit pro Sole. Igitur hanc noctem, quam pro culpa originali usurpat Job, merito negat justitiae solem perspecturam fuisse: non enim ulla conventio est tam clarae luci & tam densis tenebris. Atque sic quidem hunc Jobi locum capiunt Richardus Victor. in Cantica cap. 26. & Petrus Damian. in Serm. de Assumpt. Beatae Mariae, & sanctus Thomas 3. part. quaest. 27. articul. 2. ad 2.

1228 Fœdissimam noctem tenebris densissimis originarii delicti involutam, cæcam prædicat Jobus, ut in surgentem Auroram intendere nequeat; tanto nempe splendore præstritam. Richardi Victorini hæc verba sunt, postquam illa præmisit: Totam possedit gratia, nullum in ea locum habuit peccatum: paulò post sic faur: Etiam ipsi Principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accedere eamque tentare non præsumperint: deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & fervor devotionis; stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum, præter ipsam. Luna enim, quæ nocte splendet, & stellæ non sunt munda in ejus comparatione, id est, hi, qui vitæ sanctitate lucent, ut luna, vel stellæ, in nocte hujus vitæ obtenebrantur, in ejus comparatione. Obtenebrantur enim stellæ, id est, sancti caligine humanae culpæ. Sed Beata Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustravit, & persudit sol justitiæ, ut nec maculam haberit, nec tenebras culpæ. Satis hæc dilucidè. Etenim, etsi reliquas stellas tenebris humanae culpæ defædatis asserit, non tamen unam Auroram Deiparam, quæ sui solis claritate perfusa nec maculam habuit, nec tenebras ejusdem culpæ. Quid illustrius pro Jobi elucidatione? Vide Apocalypf. 12. ubi Regina Deipara, auroræ instar, describitur cum stellis & luna, sed solis splendore coruscans, neque Draconis lividissimi tenebris offusam. Lege dicta superius ad illud Cant. 6. Quasi aurora consurgens.

1229 Accedit sanctus Petrus Damianus loco citato; cum hominem ad imaginem, & similitudinem creatoris conditum docuisset, sic pergit: Sed ille tanti privilegii dignitate rejecta, Apostate spiritui falsâ promissione delinuit adhaesit, & se cum posteritate sua perpetue morti destinavit, & tenebris. Ab illa hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem: nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet: sed mundo crescente concrevit & tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigridinem humanum genus nocte terribili sepelivit. Hæc illa nox solitaria nec laude digna, de qua scriptum est: Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransierunt omnes bestie sylvarum, quia crudeles, & indomiti spiritus, remotis repagulis, humanum genus totis viribus obriverunt. Sed natâ Virgine surrexit aurora, quia Maria veri prævia luminis nativitate sua manè clarissimum serenavit. Hæc est Aurora, quam ille non videt, qui videt omne sublime, & orat beatus Job, ut ei omni suppressione claudatur, dicens: Non videat ortum surgentis auroræ. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus; tua est nox, in quo Adam à die est ejectus: tu fabricatus es auroram, id est, Virginem Mariam, & solem; solem videlicet justitiæ, qui de Virginali thalamo consurrexit: nam sicut Aurora terminum noctis, & diei principium adesse testatur; sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem de terra sua virginitalis exortum terris infudit. Quid ad rem nostram luculentius? Ecce tibi Jobi vaticinium nimis arduum, in quo extricando valde studeat commentariorum induitria, in gratiam Deiparæ, & nostri Siracidis illustrationem, satis superque enodatum; & crediderim, si quæ statuerimus, attentius legas, satis concinnè & noviter elucidatum.

Moralis illustratio.

SECTIO LVIII.

Tunc maxime divina in nobis virtus clarescit, cum animæ hostes deculcamus, & conterimus.

1230 **E**xcellentium corda virtute suâ calcasse, de se Incarnata testatur Sapientia; cumque id ipsum a magna Matre, magnisque Ecclesiæ Divis perpetratum noverimus, ostenditur usque adeo rem esse difficilem Tartareos inimicos conculcare, & contere, ut omnino necessaria sit Dei virtus potentissima, tunc maxime in nobis resplendens, cum arma as Lamonum phalanges exarmamus. Hinc illud Pauli ad Rom. 16. 20. egregiam Ecclesiæ Christianæ de infernalibus Tartarorum Dynastis victoriam pollicentis: Deus autem pacis conterat Sathanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri sit vobiscum. Conterendum præpoperè Sathanam sub pedibus Christianorum, deprecatur, aut prædicat juxta translationem aliam, conteret. Tam ardui operis tantique triumpho auctorem Deum ipsum compellat; quo nisi duce, homines minime valent id opus aggredi; quippe divinæ omnipotentiae, & ipsius supernæ gratiæ negotium est, cui nos cooperamur, atque ita contereandas datur sub pedibus nostris Sathan. Scitè proinde Origenes Hom. 3. in Jeremiam premens illud, Quomodo contractus est, & contritus malleus terræ? ita scribit: Jesus Christus confregit, atque contrivit malleum universæ terræ. Per unumquemque nostrum confringitur quidem, quando introducimur in Ecclesiam, & proficimus ad fidem: conteritur autem, & comminuitur, quando ad profectum venimus, dicente Apostolo: Deus autem conterat Sathanam sub pedibus vestris velociter.

1231 Dictum hoc ab Apostolo nobiles arbitrantur Interpretes cum intuitu ad id Genes. 3. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput

SECTIO LIX.

Tota Dei virtus potentissima necessaria est; ut ei obdurata hominum corda subjiciantur.

1233 **R**eddunt hunc nobis sensum verba Incarnatæ Sapientiae illa: Et omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi. Id est, peregrino vindictæ genere homines cuiusque conditionis Christo rebelles, & obduratos reddet sibi planè subditos per fidem, per obedientiam, & charitatem; ad intam sui amicitiam, & sanctitatem eos traducet. Quod eximum utique est divinæ virtutis opus, & in ejus omnipotentia cumulatissimam cedens laudem.

Etenim, quid humano corde vitii obdurato inexpugnabilis? Ea propter lapideum solet appellari in sacris litteris, Ezech. 36. 26. & durum, id est, ferreum, Ecclesiast. 3. 27. & adamantinum Jer. 17. 1. Zach. 7. 12. Sapienter proinde sanctus Bernardus libro 1. de considerat. ad Eugenium, cor durum sic describit: Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollietur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, &c. Et ut in brevi, cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. Hujusmodi ergo corda, ut Christus sibi reddat prostrata, ac planè subdita, divina ei opus est virtus, seu omnipotentia.

1234 Opportunè Psalmista Hymno 44. 4. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Describitur in primis corporatum Verbum bellipotens, & omnipotens, armatusque veluti ad prælium iturus. Tota autem divinæ naturæ virtus gladius appellatur: atque femoris voce humana ipsa natura intelligitur; ut exponit sanctus Cyrillus in Catena Græca Barbari, ubi subtexit: Illius gladius esse dicitur, quia potens est, & Dominus potentissimum, & ab alia nequaquam potentiam sumit, sed propriam illam, & nature inditam, cum reliquis Deitatis insignibus connexam habet. Deinde vers. 6. egregium hujus bellicæ virtutis, & omnipotentia opus describitur. Sagitta tua acuta (apud LXX. & multos ex veteribus, & Psalteria nonnulla additur, potentissime) populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis. Sagittas has alii Christi verba interpretantur; alii divinam dilectionem; alii divinas, efficacesque inspirationes superno lumine plenas; alii ipsas Christi virtutes, quæ actrices sunt; videlicet justitiam, qua injustum; prudentiam, qua insipientem; fortitudinem, qua timidum; temperantiam, qua intemperantem; patientiam, qua iracundum; fidem, qua incredulum feriunt, transverberantque. Istiusmodi virtutes virtus Dei potentissima sunt, quibus obdurata hominum corda emolliuntur, & subjiciuntur Christi imperio. Sagittæ tuæ, potentissime, vel ex sancti Basilii lectione, potentissima. Ut corda certè inimicorum Christi lapidea, ferrea, & adamantina transigantur; ad vitam interficiantur, ad exaltationem proferantur, & qui inimici erant, amicissimi Christo, obsequenissimique reddantur. Sic illud, populi sub te cadent, interpretantur Augustinus, Hieronymus, Basilius, Nicephorus, D d z Gene

Rupert.

Josue 10. 24.

Origen.

caput tuum. Vel juxta Hebræam, Græcamque translationem: ipse, vel ipsum conteret caput tuum. De Ecclesiæ triumphis sermo est stygios contentis hostes, & caput omne vitorum, non suâ dumtaxat, sed Christi præsertim virtute, cui tantæ victoriæ gloria adscribenda est. Ipse Christus pro virili, imò divino suo jure; ipsa verò Ecclesiâ pro ipsius Christi virtute potentissima, & cooperante gratiâ, caput contrivere serpentinum, scelerum omnium, vitorumque originem. Rectè ibi Rupertus: Certissime igitur hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem, qui deceptus est, deceptoris omne caput contrivit. Ut appareat, tunc maxime divina in nobis virtus splendescere, cum animæ hostes sub pedibus nostris deculcamus, & conterimus.

1232 Josue Hebraici populi Dux cap. 10. 24. Principum pedibus calcari iussit quinque Chanæorum Reges: quod in victis extremæ servitutis ignominia est, in victoribus summæ victoriæ ac dominatus argumentum. Itè, ponite pedes super colla Regum istorum. Qui cum perrexissent, & subjectorum colla pedibus calcarent. Querit ibi rei hujus allegoriam Origenes Hom. 12. & ad spirituales nostros hostes sapienter refert, quos Jesu Christo duce, & adiutore conculcare, & ipsorum capitibus, & collis pedes imponere debemus. Oremus, inquit, ut & nostri pedes tales sint, tam speciosi, tam validi, qui possint calcare cervicis inimicorum, qui possint ita calcare caput serpentis, ut calcaneum nostrum mordere non possit. Et post aliquot lineas subtexit: Atqui utinam Dominus meus Jesus filius Dei mihi istud concedat, & jubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis; & calcare super cervicis spiritus iracundiæ, & furoris: calcare avaritiæ Dæmonem; calcare jactantiam; contere pedibus superbiæ spiritum. Et cum hæc fecero, operis gesti summam, non mihi, sed Cruci ejus appendere, sequenti Paulum dicentem: Quia per ipsum mihi mundus crucifixus est: & quod ait: Non autem ego, sed gratia Dei, quæ in me est. Et Cruci Dominicæ, & Dei gratiæ victoriam hanc deferendam esse, merito pronunciat: quandoquidem, cum hujusmodi hostes deculcamus, tunc potissimum divina virtus in nobis clarescit.

Apoc. 12. 1.

S. Gregor.

S. Bernard.

Hinc Apocalypf. 12. 1. describitur orthodoxa Ecclesiâ solè vestita, stellis coronata, cum luna sub pedibus ejus extat conculcata. Quid hoc? Certè in Sole divina gratia, quæ Christi est virtus, designatur: In sole enim (ait Gregorius 34. Moral. cap. 7.) illustratio veritatis accipitur. Vel, ex aliorum mente, Christus Dominus, qui virtute suâ Ecclesiam circumdat, & protegit, obarmat, & illustrat. In luna pedibus deculcata, vel temporalia omnia fluxa, & mutabilia, vel potius unicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut luna sapientiam perdidit in decore suo, et loquitur Sanctus Bernardus in Serm. de Verbis Apocalypfis. Tunc igitur, dixeris, tunc maxime divina in nobis virtus clarescit, cum stygii Draconis caput, ejusque opera conculcamus, & conterimus.

Obdurato corde nihil inexpugnabilis.

S. Bernard.

Dei gladio & sagittis expugnatur.

S. Cyrillus.

Genes. 3. 15.

P. Ildeph. de Flores in Eccl'es.